

293. *Quale remedium competat illi, qui per sententiam iudicis dati cum clausula, Appellatione remota, sentit se injuste gravatum?* — Quæritur V. Quale remedium competat illi, qui per sententiam iudicis dati cum clausula, « Appellatione remota, » sentit sese injuste gravatum? Resp. I. Ejusmodi injuste gravatus potest imprimis appellare, non obstante clausula illa, dummodo prius exprimat causam gravaminis. Ita desumitur ex cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi dicitur: « Sed si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen huiusmodi per superiorem poterit emendari. » Ubi Abbas, n. 15. recte ponderat ly, « appellans: » ac proinde infert cum communiore, quod talem injuste gravatum teneatur superior audire etiam per viam appellationis, eique succurrere; et non solum (ut nonnulli alii voluerunt) per viam querelæ gravamen illud sit revocandum. Accedit quod princeps per oppositionem dictæ clausulæ non censeatur cuiquam penitus auferre facultatem appellandi, cum appellatio sit species quædam defensionis; sed solum, ne libere possit appellari, etiam nulla prius allegata causa gravaminis; ut jam dictum est supra n. 108. et 111. et n. 269. Hinc Barbosa cit. claus. 9. n. 23. cum aliis tradit, quod clausula, « appellatione remota, » non tollat appellationem, quotiescunque in continenti quis paratus est docere de justa, et legitima causa appellandi.

294. *Enumerantur tria remedia, quibus remota, vel alias deficiente appellatione, juvari possunt injuste gravati.* — Resp. II. Insuper remota, seu alias deficiente appellatione, potest quis injuste gravatus juvari aliis remediis: atque imprimis opponendo nullitatem sententiæ. Ita Sigism. Scaccia, quæst. 19. de *Appellat.* remed. 1. Gailus, lib. 1. *Practic.* observat. 135. n. 7. et alii; estque jam dictum supra § 1. n. 24. et seqq. Siquidem appellatio, et nullitas sententiæ, huiusque oppositio, sunt diversa juris remedia; ac proinde sublato uno, non tollitur alterum. Hinc. c. *Inter cæteras*. 9. de *Sentent. et re judicat.* expresse dicitur, quod sententia iniqua retractetur per superiorem, licet causa fuerit commissa sub clausula, « Appellatione remota. »

295. Aliud remedium, est supplicatio: nam supplicare, quilibet potest, quatumcunque remota sit appellatio, juxta dicta superius § 1. n. 20. Quanquam hodie usus supplicandi propemodum ab aulis recesserit, atque in ejus locum successerit revisio; sed

qua jam dictum supra § 2. num. 48. et seqq.

296. Tertium remedium, est restitutio in integrum: hæc enim potest dari adversus sententiam inappellabilem, quando per eam quis graviter læsus fuit; ut l. *Minor*. § 2. ff. de *Minorib.* Sive dein sit inappellabilis ex natura causæ sub clausula, « Appellatione remota. » Et de hoc remedio fusissime agit Scaccia, quæst. 19. de *Appellation.* remed. 2. n. 1. et seqq. atque oportet huc applicare ea, quæ superius l. I. tit. XLI. de *in integrum restitutione*, per totum, ex professo dicta fuerunt.

§ XI.

DECLARANTUR ALII CASUS, IN QUIBUS APPELLARE NON LICET.

297. *Appellatio non admittitur*, Si res notorie constet. — Octavo, non admittitur appellatio, « Si res notoria constet, » sive ob notorietatem facti. Patet istud ex c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. et c. *Pervenit*. 13. et c. *Consuluit*. 14. h. t. ubi Summarium, Glossa, et doctores. Quotiescunque enim de causa, sive delicto notorie constat, jam appellatio tantum interponeretur ad differendam litem, atque impediendam executionem justæ sententiæ. Unde tali appellationi, utpote de cuius iniquitate constat, non est deferendum: « Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentie institutum: » prout loquitur pontifex in c. *Cum speciali*. 61. § Porro. h. t. Et hinc convictus in iudicio, simulque sponte confessus, appellare prohibetur, l. *Observare*. c. *Quorum appellationes non recip.* et can. *Ei, qui appellat*. § *Nullus etiam*. 2. q. 6. Ubi dicitur: « Nullus etiam homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum, qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusque confessus, audiatur appellans. » Hæc ibi.

298. *In dubio tamen ea admittitur.* — Verum tamen pontifex in cit. c. *Consuluit*. 14. h. t. notanter monet: « Cum multa dicantur notoria, quæ non sunt, providendum esse, ne quod dubium est, pro notorio habeatur. » Nam in factis, et delictis dubiis, dummodo causa probabilis coram iudice exprimat, bene admittitur appellatio: si tamen appellans hanc non prosequitur, aut causam allegatam non probat, iudex a quo procedet in causa juxta c. *Cum speciali*. 61. h. t.

§ XI. DECLARANTUR ALII CASUS, IN QUIBUS APPELLARE NON LICET. 353

299. *Notorium quid dicatur?* — Porro, « Notorium » in proposito dicitur illud factum, sive crimen, de quo constat « vel per evidentiam rei, quæ nulla possit tergiversatione celari; » ut dicitur cap. ult. de *Cohabitat. Cleric.* et c. *Cum olim*. 24. de *Verb. signif.* Vel de quo constat per propriam confessionem rei factam in iudicio; uti habetur ll. cc. et c. *Cum speciali*. 61. de *Appellat.* Quod tamen intelligendum est de confessione sponte facta, et non metu gravi, aut vi tormentorum extorta. Pirhing, h. t. n. 39. Vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, a qua non fuit appellatum; ut cit. cap. ult. de *Cohabitat. cleric.* juncto cap. I. de *Exception.* Aut, de quo constat per testes idoneos, aliasque legitimas probationes, si illis nihil possit opponi, sitque jam in causa conclusum cit. c. *Cum olim*. de *Verb. signif.* juncta Glossa in c. *Significaverunt*. 7. *Liquere de Testib.* Pirhing, h. t. n. 55.

300. *A legitima correctione non admittitur appellatio, præsertim in regularibus.* — Nono, ly « Corrige » denotat, non admitti appellationem a legitima correctione. Textus est in c. *Licet*. 12. de *Offic. ordinar.* ibi: « Licet in corrigendis excessibus, juxta canonicas sanctiones, appellationis sit diffugium interclusum: » junctis concordantiis a Glossa ibid. 7. *Interclusum*, relatis. Idque vel maxime procedit in regularibus, c. *Reprehensibilis*. 26. § fin. h. t. et c. *Ad nostram*. 3. eod. Ubi expresse statuitur, quod a legitima correctione prælati regularis, facta videlicet juxta regulæ præscriptum, et ordinis constitutiones, causa disciplinæ regularis, non sit admittenda appellatio: nisi modus excedatur. « Quia (ut loquitur ibi pontifex) remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui a religionis, et ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrociniæ exhibere. »

301. *Nisi modus excedatur.* — Additur notanter cum sumario, et doctoribus ibidem, « nisi modus excedatur. » Nam, ut argumentatur Abbas cit. c. *Ad nostram*. n. 1. h. t. argumento a sensu contrario desumpto, etiam religiosus permittitur appellatio, quando indebite, et contra ordinis constitutiones prægravantur per superiorem suum: haud obstante, quod hic procedat per viam correctionis, arg. c. *Reprehensibilis*. 26. § fin. h. t. Ubi religiosus per superiores suos indebite excommunicatis, seu aliter gravatis, ac proinde appellantis, rigore præcipitur obser-

vantia dictæ decretalis: et consequenter indebite gravati contra ordinis constitutiones possunt appellare. (ADNOTATIO XXI.)

302. *Id ipsum procedit etiam in clericis sæcularibus.* — Insuper sæcularibus etiam clericis in cit. c. *Reprehensibilis*. 26. h. t. præcipitur, « ne contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant. Si vero quispiam pro suo necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendum appellationem terminus præfigatur: infra quem, si forte prosequi neglexerit, tunc episcopus libere sua auctoritate utatur, » etc. Hæc pontifex; postmodum subjungens poenam recompensationis expensarum, in quas condemnatur appellans non prosequens suam appellationem, appellato veniente, hancque prosequente.

303. *Contemptus impedit appellationem. Et quid per contemptum hic intelligatur?* — Decimo. « Contemptus » impedit fieri appellationem. Ubi per « Contemptum » intelligitur contumacia judici exhibita in veniendo. Nam verus contumax (id est, ille, qui tribus edictis propositis, vel uno tribus, quod « Peremptorium vocant, legitime vel iudicem citatus est, et tamen non impeditus morbo, aut alia legitima causa, præsentiam sui facere, et venire contemnit) talis, inquam, verus contumax a sententia contra eum lata appellare nequit: et appellans non auditur, postquam negotio prius summatim perscrutato super contumacia sua condemnatus fuit. Textus est in l. c. *Quorum appellation. non recipiant.* ubi proinde Bartolus in *Summario*. breviter inquit: « Verus contumax non appellat. » Idem patet ex l. *Ex consensu*. ff. de *Appellat.* et l. *Contumacia*. ff. de *re judicat.* In quo posteriori loco dicitur: « Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperat, litis damno coercetur: hoc est (ut explicat Glossa ibid. 7. Litis damno coercetur) ut non appellent; » quamvis non illico admittant causam principalem, si cæteroquin justam causam foveant.

304. *Possessio, seu sententia lata in possessorio, non admittit appellationem.* — Undecimo, « Possessio, » sive sententia lata in iudicio possessorio, non admittit appellationem. Textus est in l. un. c. *Si de momentanea possessione, etc.* juncto canone *Ei, qui appellat*. § *De possessione*. 2. q. 6. ibi: « De possessione etiam, et ejus memento, si causa dicatur (quæ sententia interlocutoria appellatur) quamvis provocatio interposita fuerit,

tamen lata sententia sortitur effectum. » Ubi Glossa γ . *Momento*, hoc intelligit de momentanea possessione : quia tunc non appellatur propter modicitatem præjudicii; cum istud illico, atque in momento cesset, si condemnatus in possessorio postea probet de proprietate rei. Siquidem sententia lata super proprietate rei, absorbet sententiam super ejus possessione : ut c. *Cum dilectus*. 6. de *Causa possess.* cum similibus.

305. *Fallit illud in possessorio magni præjudicii, saltem spectato jure canonico.* — Cæterum loquendo de sententia, præsertim definitiva, super possessorio magni præjudicii lata, spectato jure canonico habet locum appellatio; ut c. *Cum ad sedem*. 15. de *Restitut. spoliat.* et Clem. un. de *Causa possess.* ubi talis appellatio super possessorio reperitur facta, et alibi. Accedit ratio : tum quia cit. can. *Ei, qui appellat*. 2. q. 6. solum fit mentio de sententia interlocutoria super possessione lata; tum quia sententia super possessorio lata, potest etiam esse maximi præjudicii : ut si non possunt haberi aliæ probationes super proprietate rei; nam tunc ex defectu possessionis perderet quis etiam proprietatem, nisi appellare valerit : ut taceantur alia privilegia possessionis, de quibus supra tit. XII. de *causa possessionis et Proprietatis*. § 2. n. 39. et seqq. fusius agitur; tum tandem, quia de jure canonico potest appellari etiam in minimis, c. de *Appellationibus*. 11. h. 4.

306. *Et quid spectato jure civili?* — Et hinc Glossa in c. *Cum ad sedem*. γ . *Interdictum. de Restitut. spoliat.* et nonnulli volunt, dictum illud, quod non possit appellari in causa possessionis, procedere solum spectato jure civili, non vero de jure canonico. Imo Abbas, in d. c. *Cum ad Sedem*. n. 30. de *Causa possess.* asserit, quod non putet, utilem esse provisionem legalem : quia licet certo respectu quæstio possessoria videatur modici præjudicii, tamen alio respectu potest esse maximi præjudicii; idque ob rationes hactenus allatas.

307. *Solvitur instantia.* — Quod si dicas, non esse recedendum a depositione juris civilis, ubi de jure canonico non reperitur contrarium depositum, arg. cap. 1. de *Novi operis nuntiat*. Atqui in proposito de jure canonico non reperitur contrarium depositum, quam habetur in cit. l. un. c. de *Momentanea possess.* etc., imo hæc videtur canonizata in can. *Et, qui appellat*. 2. quæst. 6.

cujus verba n. 304. referuntur; ergo. Resp. neg. min. ob sacros canones n. 305. citatos. Si vero placeat, nullam quoad propositum inter jus civile, et canonicum, admittere discrepantiam; potest dici cum Abbate cit. c. *Cum ad sedem*. n. 30. allegante pro se Bartolum, quod etiam de jure civili semper possit appellari, sed per appellationem non impediatur executio sententiæ; prout hoc ipsum videtur velle cit. un. c. de *Momentanea possess.* illis verbis : « Tamen lata sententia sortitur effectum. » Simile quid habetur l. *Ab executione*. C. *Quorum appellat. non recip.*

308. *Appellare vetat, jus clarum.* — *Duodecimo* vetat appellare « Jus clarum. » Nam censetur appellatio frivola, atque iniqua, si interponatur circa illud, quod iudex secundum clarum juris textum definivit, atque præcepit. Siquidem jus commune neminem gravat, sicque ratio appellationis interponendæ; nempe injustum gravamen, ad quod tollendum inventa fuit appellatio. Quinimo deferre appellationi contra jus clarum, aut contra executionem ipsius, aliud non foret, quam præsidium subministrare inobedienciæ. Unde si episcopus mandet clerico, nullam justam excusationem habenti, ut resideat in suo beneficio, et is appellet, non est audienda ejus appellatio, c. *Relatum*. 4. de *Cleric. non resid.* Simile quid habetur c. *Consultuit* 29. de *Appellat.* juncta Glossa fin. ibid. generaliter inferente, quod appellatio, quæ fit contra leges vel canones, non sit aliquatenus admittenda. Verumtamen hoc limitare oportet, nisi quis alleget causam rationabilem; ob quam jus generale in tali casu locum habere non videatur : sed tunc hoc ipso jus non est clarum.

309. *Appellationem non admittit Executio sententiæ.* — *Decimo tertio*, « Executio » non admittit appellationem : siquidem ab executione sententiæ, quæ in rem transit judicatam, aut secundum clarum juris textum lata fuit, non licet appellare; nisi forsane executor, male sententiam interpretatus, excedat modum executionis. Textus est clarus in l. *Ab executione*. C. *Quorum appellatione* etc. et l. *Sed nec. Ab executeore* ff. de *Appellat.* Concordat c. *Novit*. 43. h. t. et c. *Quod ad consultationem*. 15. § *Sed nec de Sent. et Rejudicat.* et c. *Super questionum*. 27. § *Nos autem. de Offic. delegat* juncta Glossa γ . *Executeorem.* et Abbate ibid. n. 11. et aliis. Accedit ratio, quia merus executor (nisi mo-

dum excedat) non gravat exequendo sententiam iudicis; cum non habeat cognitionem causæ, sed nudum ministerium : et si quod gravamen interveniret, id a sententia iudicis oriretur, qui mandavit, a qua proinde appellandum erit, nisi aliud obstet; estque jam dictum supra lib. I. tit. XXIX. de *Offic. et potestat. Judic. delegat.* § 7. n. 157.

310. *Sicut nec Res minima, saltem spectatis specialibus locorum statutis.* — *Decimo quarto*, « Minima res » non admittit appellationem, saltem spectatis specialibus diversorum statutis : eo quod res minimæ, atque exigui momenti, non mereantur appellationem, atque protractionem litis. Sic in curia Romana, non admittitur appellatio in causis non excedentibus quinque ducatos auri de camera; uti refert Barbosa c. de *Appellationibus*. 11. n. 3. h. t. similia de nonnullis aliis allegans. Similiter in camera imperiali, appellationes regulariter non recipiuntur, si summa appellationis sit infra centum quinquaginta florenos; teste Gailo lib. I *Practic.* observat. 123. n. 1.

311. *De jure canonico tamen potest appellari etiam pro causis minimis.* — Cæterum de jure canonico potest appellari etiam pro causis minimis, text. clar. cit. c. de *Appellationibus*. 11. h. t. Siquidem appellatio non est fundata quantitate gravaminis; sed super injustitia sententiæ atque iniquitate seu imperitia iudicis, l. I. § 1. ff. de *Appellat.* qualis etiam in causis minoribus intervenire potest. Et ob hanc causam infert Pirhing, n. 36. h. t. etiam de jure civili posse appellari, in causis minoribus; ut l. *Et in majoribus* c. h. t., ibi : « Et in majoribus et in minoribus negotiis appellandi facultas est. » Quamvis nonnulli contradicant, qui postmodum per causas minores, cum Glossa ibid. intelligunt civiles; et e contra per majores : intelligunt causas criminales.

312. *Res longius acta non recipit appellationem. Ab eadem sententia et super eodem articulo, non licet eidem ter appellare.* — *Decimo quinto*. « Res longius acta » sive protelata, non recipit appellationem. Et hoc inter alia fit ex eo, quia ab eadem sententia, ei super eodem articulo, sive gravamine lata, eidem ter appellare non licet; prout habetur expressum in l. I. c. « Ne liceat in una eademque causa ter provocare, » etc. *Sua nobis*, 65. h. t. Idque merito statutum fuit : tum ne detur processus in infinitum, et lites evadant propemodum immortales : tum

quia præsumptio est contra eum, qui tam in priori instantia, quam bis provocando, ter succubuit. Et hoc procedit non solum in appellatione definitiva, verum etiam in appellatione ab interlocutoria. Barbosa cit. c. *Sua nobis*. n. 2. h. t. allegans alios. Procedit etiam in illis causis, quæ non transeunt in rem judicatam : licet enim in his possit causa de novo inchoari, non tamen potest tertio appellari. Abbas, d. c. *Sua nobis* n. 7. h. t.

313. *Secus super diversis articulis, etiam ejusdem causæ.* — Dicitur notanter primo, « ab eadem sententia, et super eodem articulo », etc. Nam si quis millies super diversis articulis, licet in eadem causa, gravaretur, posset in toties appellare; ut can. *Quoties Episcopus*. 2. q. 6. ac notat Abbas cit. c. *Sua nobis*. n. 7. h. t. Quia super appellaret super diverso gravamine, sive articulo.

314. *Et quid, si modo una, modo altera pars succumbat, et appellat?* — Dicitur secundo, « eidem ter appellare non licet. » Nam si modo una, modo altera pars succumbat, cuilibet bis appellare licet, sed nulli ter. Hinc si Titius contra Cajum litigans, in prima instantia condemnatur, potest Titius appellare : si dein in altera instantia Cajus condemnatur, potest etiam is appellare : quod si denuo condemnatur Titius, rursus huic appellare licebit : et si iterum Cajus damnatur, et ipsi adhuc licebit appellare. Tunc autem, ex quo quilibet bis appellavit, neutri amplius licebit appellare : atque obtinebit his, qui in ultima instantia superando, tres conformes sententias pro se reportabit, arg. Clem. 1. de *Re judicat.* ac notat Abbas cit. n. 7. Et hoc idem juris est, si quis non interpositim, sed successive bis appellaverit : ut si Titius adversus sententiam in prima instantia contra se latam appellet, et ipsa confirmetur; sicque Titius secundo appellet : nam si sententia illa denuo confirmetur, non est locus tertiæ appellationi.

315. *Quæ remedia competant post secundam appellationem?* — Quamvis autem, juxta hactenus dicta non sit licitum tertia vice appellare; adeo quidem, ut neque papa, neque alius princeps supremus potestate sua ordinaria, mediante rescripto concedere censeatur facultatem appellandi tertia vice : potest tamen imprimis id princeps concedere per viam privilegii, ac ex certa scientia. Pirhing h. t. n. 126. Deinde, licet quis non audiatur tertio per viam appellationis, auditur tamen

per viam nullitatis sententiæ; ostendendo videlicet, quod prior sententia fuerit ipso jure nulla: ita tamen, ut sententia prius possit executioni mandari, Clem. 1. *de Sent. et re judicat.* estque jam dictum supra § 1. n. 26. Potest insuper tunc peti restitutio in integrum, servatis tamen aliis de jure servandis, l. *Minor.* § 2. ff. *de Minorib.* Tandem potest etiam supplicari principi, non obstante gemina appellatione; ut patet ex dictis supra § 10. n. 294. et seqq.

§ XII.

DE RECUSATIONIBUS, ET RELATIONIBUS.

316. *Recusatio judicis, quid?* — Quæritur I. Quid sit recusatio, et quomodo differat a appellatione? Resp. I. « Recusatio » est judicis suspecti, et jurisdictionis ipsius proposita causa suspicionis declinatio. Ita Pirhing, h. t. n. 265. et alii. Nam quia naturale quodammodo est, suspectorem judicium insidias declinare, eo quod is aut consanguineus, vel affinis partis adversæ existat, aut nimia affectione erga eam ducatur, vel proprium interesse in causa habeat, sive odio erga recusantem afficiatur: hinc jura licitum esse volunt, ei, qui suspectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur, can. *Quod suspecti.* 3. q. 5. et l. *Apertissimi. c. de Judicis, cum concordantiis.*

317. *Hæc in nonnullis convenit cum appellatione.* — Resp. II. Recusatio judicis in nonnullis convenit cum appellatione; in pluribus tamen ab ista differt. Ita communis; et patet inductione. Convenit quidem cum ea: tum quia etiam recusatio suspendit jurisdictionem judicis recusati; adeo, ut pendente recusatione non possit is ad aliquem actum procedere, et alioquin processus sit nullus (ut dicitur n. 325 et seqq.) Quod ipsum accidit in appellatione: atque ob hanc convenientiam compilerator juris canonici, sub eodem titulo, simul agit de appellationibus, et recusationibus etc. uti notat Glossa ad rubric. h. t. Deinde conveniunt: quia sicut appellatio ab interlocutoria non admittitur, nisi causa probabilis appellandi exprimitur, c. *Ut debitus.* 59. h. t. ita nec recusatio judicis, c. *Super eo.* 12. h. t. juncta Glossa ibid. §. *Sicut appellatio.* et c. *Cum speciali.* 61. § 1. eod. cum concordantiis.

318. *Appellatio, et recusatio æquiparantur;*

et quomodo? — Nec obstat, quod cit. c. *Super eo.* 12. h. t. absolute dicatur: « In causis ecclesiasticis, ubi appellationis remedium tollitur, sicut appellationi, ita recusationi non est aliquatenus deferendum. » Nam contra est: quia in c. *Postremo.* 36. eod. expresse habetur, quod delegatus cum clausula, « appellatione remota, » possit recusari, si est consanguineus impetrantis, vel ex alia justa causa suspectus: et tamen ab eo nequit appellari, ob memoratam clausulam. Et hinc, ut jura juribus concordentur, juxta cit. c. *Super eo.* 12. h. t. Appellatio et recusatio æquiparantur in hoc, quia sicut in appellatione requiritur causa rationabilis, ita et in recusatione; prout loquitur Summarium ibid. ac notat Pirhing h. t. n. 266.

319. *Differunt autem in pluribus.* — Differunt e contra appellatio, et recusatio in pluribus. Nam prior non habet locum, nisi postquam quis se sentiat gravatum a judice: secus in recusatione; hæc enim fit ante litem inchoatam, et consequenter, etiamsi judex nondum gravarit. Deinde, in eadem causa non licet ter appellare, tamen recusatio judicis non numeratur in hoc numero appellationum, l. un. c. *Ne liceat in una eademque,* etc. Uterius officialis, sive vicarius generalis episcopi, potest coram eodem episcopo recusari, licet ab officiali ad episcopum appellare non liceat, text. clar. c. *Si contra.* 4. § fin. *de Offic. Jud. delegat.* in 6. juncta Glossa fin. ibid. Tandem potest quis appellare a judice, in quem consensit, c. *Causam.* 14. h. t. non tamen eum recusare, c. *Insinuante.* 15. § fin. *de Offic. delegat.*

320. *Recusatio judicis suspecti debet fieri ante litem contestatam, et intra viginti dies post oblatum libellum.* — Quæritur II. Quando, et quomodo fieri debeat Recusatio Judicis suspecti? Resp. I. Judex suspectus non nisi ante litem contestatam, ac intra viginti dies post libellum oblatum, recusari potest. Patet hoc ex auth. *Offeratur. c. de Litis contestatione.* ibi: « Offeratur ei, qui vocatur ad iudicium, libellus: et exinde viginti dierum gaudet induciis, quibus deliberet, cedat an contendat, aut iudici alium associari petat, vel recuset eum, » etc. Concordat can. *Quod suspecti.* 3. q. 1. et l. *Apertissimi. c. de Judicis,* in quo posteriori loco sic dicitur: « Apertissimi juris est: licere litigatoribus iudices datos, antequam lis inchoetur, recusare. » Ratio ulterior, cur recusatio debeat fieri ante inchoationem iudicii, sive ante

§ XII. DE RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS.

contestationem litem, hæc est: quia si quis coram judice semel litigare incœperit, hoc ipso censetur in eum consensisse; sicque ipsum, utpote semel a se approbatum, amplius recusare non potest.

321. *Nisi nova causa recusandi supervenerit.* — Intellige, nisi nova causa ipsum recusandi superveniat, juxta textum expressum in c. *Insinuante.* 25. *de Offic. delegat.* ubi judex delegatus, post litem jam contestatam, et diutius agitatam recusatur; eo quod postea alterum litigatorum in suum familiarem admiserit. Aut nisi post litem contestationem primum, recusans causæ illius notitiam acquisierit, idemque juramento deponat; ut c. *Pastoralis.* 4. *de Exceptione.* ac notat Covarruvias *Practic.* Quæst. cap. xxvi. n. 2. et Zoesius h. t. n. 34. Nam tunc ignorantia illius causæ recusandi, removet consensum in approbationem talis iudicis.

322. *De jure canonico potest recusari judex tam ordinarius, quam delegatus.* — Resp. II. De jure canonico potest recusari judex tam ordinarius, quam delegatus; quidquid sit de jure civili. Prior pars patet ex c. *Cum speciali.* 61. h. t. juncto c. *Si contra.* 4. et c. *Judex.* 5. *de Offic. delegat.* in 6 ubi expressa fit mentio de recusatione judicis ab apostolica Sede dati, et suspecti, cum concordantiis. Idque ex eo statutum fuit, ne quoquo modo alicujus causam contingat contra justitiam in iudicio lædi.

323. *Et quid spectato jure civili?* — Additur vero, « quidquid sit de jure civili. » Nam spectato rigore juris civilis, quamvis judex delegatus possit recusari ut suspectus, cit. l. *Apertissimi. c. de Judicis.* Judex tamen ordinarius recusari nequit: sed si circa ipsum aliqua suspicio, atque dubitatio emergerit, tunc ejusmodi iudici ordinario jubetur adungi episcopus loci, qui una cum iudice illo ordinario causam audiat; atque vel amicabilem eam componat, vel simul cum ipso cognitionaliter dirimat, Auth. *Si vero. c. de Judicis.* Notat tamen Baldus in *Summario.* ad cit. Auth. *Si vero.* et Covarruvias *Practic.* Quæst. cap. xxvi. n. 4. dictam Authenticam quoad id, ut judex recusatus assumat socium episcopum, non esse receptam de consuetudine: sed ejus loco per iudicem recusatum solere recipi alium quempiam bonum, et candidum Virum ad obscurandam, quæ de illo orta fuerat, suspicionem. Atque ob hoc in n. præced. de industria additum fuit ly, « spectato rigore juris civilis. »

324. *Volens recusare judicem sibi suspectum, quid agere debeat?* — Resp. III. Volens recusare judicem sibi suspectum, debet coram eo suspicionis probabilem causam in scriptis proponere, eamque coram arbitris communiter eligendis probare: qua legitime probata, judex recusatus vel negotium principale de recusatoris consensu committat alii personæ idoneæ dijudicandum; vel illud transmittat ad superiorem, ut ipse in eo procedat, secundum quod juxta fuerit: dicta vero causa recusationis non probata inter terminum competentem, ipsemet judex utitur sua jurisdictione, et procedit in causa principali. Ita habetur decisum in c. *Cum speciali.* 61. h. t. juncta l. *Apertissimi. c. de Judicis,* ibi: « Libello recusationis ei porrecto. » Zoesius h. t. n. 37. Pirhing, n. 271. et alii. (ADNOTATIO XXII.)

325. *Effectus recusationis judicis quis?* — Quæritur III. Quis sit effectus recusationis judicis? Resp. I. Effectus recusationis est, suspendere jurisdictionem judicis recusati: unde recusatione rite proposita, ac pendente super ejus justitia cognitione (nisi manifeste pateat, eam esse frivolam) judex recusatus in causa supersedere debet, neque poterit ad ulteriora procedere. Textus est in c. *Secundo requiris.* 41. § fin. h. t. Ubi etiam hujus ratio assignatur, illis verbis: « Ipsa namque ratio dictat, quod suspecti, et inimici, iudices esse non debent. »

326. *Recusatio an ita suspendat jurisdictionem judicis, recusati, ut postea gesta ab eo, sint nulla ipso jure?* — Resp. II. Utrum recusatio ita suspendat jurisdictionem judicis recusati, ut postea gesta ab eo, sint nulla ipso jure; variant doctores. Affirmat Glossa can. *Quoties.* 2. q. 6. §. *Appellent.* Vallensis h. t. § 19. n. 4. Zoesius n. 38. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 33. n. 12. et quidam alii. Rationem dant: quia, cum iudici recusato adimatur, vel saltem suspendatur iudicandi potestas, ut lites sine suspitione procedant, l. *Apertissimi. c. de Judicis;* jam hoc ipso postea ab eo gesta non possunt valere, sicque sunt irrita ipso jure: prout in simili de gestis post interpositam appellationem dici solet.

327. *Referuntur diversæ circa hoc doctorum sententiæ.* — Negativam vero sententiam, seu quod gesta post factam recusationem non sint nulla ipso jure, sed valeant, nisi etiam interponatur appellatio; tenet Pirhing, h. t. n. 277. citans Innocentium in c. *Cum spo-*